

**Dissertatio inauguralis medica, de febrifugorum selectu et cauto usu ... /
praeside Michaeli Alberti ... pro licentia ... anno MDCCXXX. publicae ac
placidae eruditorum ventilationi subjiciet auctor respondens Johannes
Daniel Geisel.**

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.
Geisel, Johann Daniel.
Universität Halle.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litteris Hendelianis, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mpsqybbt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, 17
DE
FEBRIFUGORUM
SELECTU ET CAUTO USU,

Quam,
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiossæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

ACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

UMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXX, D. FEBRUAR.


Publicæ ac placidæ eruditorum ventilationi subjiciet

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES DANIEL GEISEL,

ANNÆVILLA-BIPONTINUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.



V I R O
EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

D O M I N O
DN. IO. SAMUEL
CARL

MEDICINÆ DOCTORI

ILL^m. DNI COMITIS A SAYN
ET WITTGENSTEIN &c.
QVI BERLENBURGI EST, ARCHIATRO
GRAVISSIMO

PRACTICO LONGE CELEBERRIMO

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORI
SUO

PIO ANIMI CULTU ÆTATEM
VENERANDO

NEC

NEC NON
VIRIS

NOBILISSIMIS ATQVE SPECTATISSIMIS

DN. DAVIDI WIELAND

PHARMACOPOEO AULICO BIRCKENFELDENSIS

APUD EPISCOPIVILLANOS FAMIGERATISSIMO

PAUTORI SUO MAJOREM IN
MODUM HONORANDO

ET

DN. FRID. CHRISTIANO
MEYER

PHARMACOPOEO URBIS BIPONTI
PERITISSIMO

PATRUO SUO PARENTIS LOCO
OBSEQUIOSE COLENDO

SPECIMEN HOC QVAECUNQVE INAUGURALE

IN OBSTRACTISSIMI GRATIQUE ANIMI TESTIMONIUM

CUM VOTO VERÆ ATQVE PERPETUÆ FELICITATIS

D. D. D.

AUCTOR.



B. C. D.

De Febrifugorum Selectu & Cauto usu.

P R Æ F A M E N.



Uemadmodum in singulis scientiis æque atque actionibus nostris, eo niti semper debemus, ut vitando abusum, legitimum rerum, per se non culpandarum, usum adsequi valeamus: ita hæc circumspectio maxime in Medicina servanda venit. Luditur enim hic de corio humano; & qui vero usu rectaque medicamentorum adplicatione a morbis præservari & liberari queunt homines, abusu tamen eorundem & præpostera exhibendi methodo in longe peiorem valetudinem dejici, imo jugulari possunt ac subinde solent. Atque in hoc certe & ex parte maximopere hodiernum, dolendus est Medicinæ Status, quod, utcunque obclament prudentes atque docti artis nostræ In-

flauratores & Defensores, nihilofecius toto die ufum
 confiliorum fuorum ac pharmacorum, a fe commen-
 datorum, aliorum ignorantia, incuria, temeritate in-
 verti, perverti & in abufum converti experiantur.
 Cujus facti folenne in Febribus habemus exemplum;
 vix enim alius occurrit morbus, qui adeo per incon-
 grua, aut nudæ empiriæ tentamina in deterius agi fo-
 let. Hanc non folum plebecula variis remediis do-
 mesticis, fed & reliqua medicaſtrorum, agyrtarum,
 tonforum & balneatorum, extra oleas vagantium fal-
 cemque in alienam meſſim immittentium, rudis im-
 peritaque cohors innumeris atque perverſiſſimis qui-
 dem ut plurimum artificiis absque habita conſtitutio-
 nis, temporis, aliarumque circumſtantiarum ratio-
 ne, judicio deſtituti ſupprimere & profligare ſata-
 gunt: unde tot tantaque irreparabilia damna in cor-
 pora humana, inſignisque haud raro ignominia in
 ſalutarem artem redundant. Eo autem ipſo quoque
 quod hinc vel nomen febrifugorum inter rationales
 Practicos exoſum evaſerit, tanto magis crevit hoc
 opprobrium, quanto plus hi a motuum ſiſtentibus
 abhorruere, imo ſubinde in pertinacibus febribus
 manum de tabula retraxere, unde ægrotantes leva-
 men & ſolamen anhelantes ad tales artifices & artifi-
 cia confugere coacti ſunt, qui cito, licet non tuto, ma-
 lum e medio tollere poſſint audeantque, quorum
 ope, ſi convaluere, omnia ratiocinia in arte medica
 pro inanibus habentur: Sin minus, in univerſa hac ſci-
 entia nil opis ſibi latum fuiſſe varii divulgant. Hodieq;
 hoc fit: hinc non abs re Clariffimus ille Practicus PE-
 LAR.

LARGUS in notis ad Collegium Stahlii Practicum optat, ut multiplex, qui in his versatur abusus, scripto publico a viro quodam docto vernacula lingua exactissime commonstraretur; cui ego subscribo & addo: ut etiam verus usus rerum non plane rejiciendarum edoceretur, quippe quibus si non semper nec ubique, sæpiusculè tamen & nonnullis in locis ac occasionibus carere non possumus, nisi in scitiæ ac imperitiæ culpari velimus. Opus vero tale exercitissimum sane practicum perinde ac acutissimi ingenii scriptorem exposcit: ast hujusmodi viris ampla praxi implicitis, aliisque arduis negotiis distentis vix de tali instituto cogitare, nedum opus ipsum aggredi vacat, atque sic res hæc semper in eo, quo jam versatur statu, mansura videtur. Hæc contemplatio, quanquam me haud fugiat, Disputationes jamjam multaque alia de febrium tractatione & antifebrilium adplicatione exstare scripta, suggessit mihi propositum, ut pro Specimine inaugurali DE FEBRIFUGORUM SELECTU ET CAUTO USU nonnulla differere susciperem. Ne vero tanta me quis putet audacia atque impudentia, ut secundum prædicta desideria me aliquid præstiturum confidam; vires tantum qualescunque per primitias hæc laborum Academicorum experiri licebit, & gratulabor mihi, si in his aliqua saltem olitor opportuna fuero loquutus. Velit autem hisce meis conatibus Sacro Sancta annuere TRINITAS, quo in majorem sui nominis gloriam, proximique aliquale commodum cuncta cedant, supplici mente rogo.

§. I.

DE FEBRIFUGIS itaque, nec non iis, quæ circa eadem monenda veniunt dicturo explicanda primo loco incumbit instituti mei ratio: nimirum haud equidem quenquam latere puto, sub Febrifugis intelligi, non ea singula, quæ ad totam febris methodicam legitimam tractationem exhiberi solent, sed illa duntaxat medicamenta, quæ ad moderationem & placidam atque convenientem cohibitionem motuum febrilium post materiæ peccantis debitam præparationem, resolutionem, evacuationem superstitum & in contumacem habitum deductorum in febribus præcipue intermittentibus in usum trahi solent. Hanc videlicet denominationem in sensu strictiore usurpans; in laxiore vero valet quidem in genere de omnibus, quæ in febribus adhibemus, quo etiam KERGERUS, HELMONTIUS, RIVERIUS *specificæ* suæ magis remote quam positive agentia febrifugorum titulo insignivere: verum enim vero si recte res æstimetur, hoc nomen haud convenit, nisi iis, quæ reapse febrim fugant & tollunt. In aprico autem est, adhibitis omnibus, quæ materiam attenuant, coquunt, incidunt, resolvunt, eliminant, si vel optime vires suas exeruerunt, scopumq; attigerunt, sæpe tamen motus in consuetudinem degenerare ac jugiter continuare, qui prioribus illis remediis haud compescuntur: hinc activioribus opus est febrifugis.

§. II. Petuntur autem ea ex alterantium classe, suntque vel interna, vel externa. *Interna* agunt vel I. sensitiva & discretiva quadam tantum efficacia, atq; per ipsius naturæ interne dirigentis erronee exacerbatae placationem, qualia sunt
feda-

sedativa, tam nauseosa, ingrata, sopientia, quæ sulphureo-vaporosa sua indole naturæ exosa eam quasi deterrent, ut ab ulteriore motuum intensione attonita recedat, quam grata, balsamica, reficientia, suaveolentia, quæ blanda sua *ἀναθυμίασις* discursivos motus atque tumultuarios demulcent. Vel II. etiam physico simul contactu, tonum adficiendo, quale quid præstant subadstringentia illa usualia, quæ particulis suis terreo-falinis fibras motrices contrahunt, & hoc modo toni robur instaurant, quo ipso æqualior atque constantior humorum distributio circulusque obtinetur, motus vero progressivi excessus oblitteratur. Vid. D. D. PRAESIDIS *Diff. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo Specim. III. §. 4--6. inclusive, de adstringentibus.*

§. III. *Externa* itidem duplicis sunt generis: alia enim agunt in tonum per sulphureorum suorum principiorum effluvia, quo ipso motus circulatorius cum aliqua vehementia ad locum cui adplicantur, particularem avocatur, motus vero universalis febrilis infringitur: alia mentali quadam solum terrificâ, imaginaria impressione; imo subinde imaginatoria fiducia efficaciam medicamenti, aut habilitati Medici superstructa, (quam perinde non raro internis medicaminibus subvenisse observatum fuit.) De quibus infra fusius.

§. IV. Ipsum Febrifugorum nomen statim indicat ea in *Febris* esse adhibenda: ubi autem superius monui, stricte talia non nisi in *intermittentibus simplicibus* esse adplicanda: tum quia hæ magis ad contumaciam motuum sine materia sese exerentium proclives sunt, quam acutæ: tum quia in acutarum atque continuarum motibus diversa ac longe blandiora moderamina potius quam plenariæ suppress-

suppressiones ac sedationes locum inveniunt. Nec vero obiter inculcatum volumus pro scopo nostro, febres intermittentes magis quam acutas pertinaces sine crassa materia motus exerere solere, cum diuturnior illius præparatio, quæ in ipsis sit, hos facile in consuetudinem deducat: in acutis vero utut exorbitantes & turbati fiant motus sub præparatione & expulsionem materiæ, diebus præsertim inter criticos intercalaribus, tamen subacta hac potius major virium prostratio, motuumque remissio & omissio, quam ulterior exacerbatio observatur, quia continuus in his est naturæ labor, & harum febrium legitime cedentium, nec aliena quam convenit, medicamentorum & regiminis adplicatione & directione turbatarum, de Septenario in Septenarium protractiones, nil aliud denotant, quam noxam materiale prioribus solutionibus nondum omnem fuisse subactam: aut contra in febrium turbatarum perverse tractatarum in lentas abeuntium, materiam culpofam sive qualitate sive quantitate peccantem aliquo in vase aut viscere incarceratam stagnationes & ultiores læsiones minantem aut inferentem. Quanquam non inficiamur, motus & ultra gradum materiæ exacerbari & protrahi quandoque in acutis: infert tamen præmissa illa consideratio, id ipsum quod ante jam monuimus, hîc longe majore in moderandis ac sedandis talibus motibus opus esse circumspeditione, & a febrifugis positivis plane abstinendum, quibus e contrario tanto quidem majore jure in intermittentibus utimur, quanto magis, ut in limine hujus §. meminimus, ad ejusmodi consuetudinem motuum perennantium inclinant, qui ita comparati sunt, ut lenioribus tonicis atque sedantibus amaris, stomachicis, gemmatis raro aufeulent, & præterea subiecta,

quæ

quæ obsident, ad suscipiendos ex levi causa occasionali alios morbos sensibilia reddant, imo subinde in diuturnum languidumque statum devolvant, præsertim ea, quæ regimen congruum satis diu observare nequeunt.

§. V. Præ aliis, inquam, febribus, febrifugorum opem intermittentes postulant, quippe quæ magis circa subjecta tenacia lenta mucida sunt operosa, magis temperamenta melancholica, cholericæ, sicut in moralibus, ita in vitalibus actibus constanter in cœptis perseverantia & priora tarde ea expedientia infestantur, quam non æque talia: quô quidem non in totum homines sanguineos excludimus, quo minus intermittentes experiri possint, nam experientia diversum docet; sed id saltem innuimus hos citius expediri, nec ordinariæ motibus tam diu rebellibus relinqui. Neutiquam vero id asseveramus, quod in omnibus intermitt. febr. semper ad febrifuga confugiendum sit: febres enim hujus census, nisi perverse tractentur, & per inconvenientem pharmacorum, diætæ & regiminis usum corrumpantur, ut plurimum optime decurrunt; ita ut in relatione ad multo plura exempla contraria raro positive suffocari mereantur. Multi quoque sunt Practici felicissimi mihi quidem noti, qui rarissime febrifuga, qua talia, exhibent, hancque febrium speciem, utut contumacem *salinis, digestivis, lenissimis laxantibus & mitissimis tonicis, stomachicis, carminativis* ad salutarem exitum perducunt. Verum patientium impatientia sæpe diversum efflagitat, quæ non contenta, quod motus successive decrescant & imminuantur, (id quod tamen notabilem Naturæ remissionem indicat, & imminentem mali finem auguratur, ideoque potius curam per expectationem indigitat,) simultaneam ac sub-

B

taneam

taneam eorum abolitionem urgent: ubi tanto maiore cautione opus est.

§. VI. Hinc media quadam via incedendum est, ne in alterutrum extremum deflectamus. Dixi, rarius febrifugis opus esse, cetera si paria sint, ægrotorumque indoles atque patientia conveniant: sed his ipsis limitationibus declaro, quod utique interdum illis opus sit. Qui vero iis in praxi sua Medici non utuntur, vel alias pro climatis & morum diversitate circumstantias experiuntur, vel aliud quoddam medium inveniunt, quibus febricantium naturam & patientiam sublevant, prout non una est via, multipliciaque a DEO creata sunt subsidia: in eo autem conveniamus omnes operam dare nos decet, ut rationem sequentes abusum evitemus.

§. VII. Vitatur vero abusus, tutiorque febrifugorum efficitur usus, si cautelæ, quibus hic circumscribitur, curatius observentur; quas itaque figillatim proponemus atque dispiciemus. Præcipuus febrilium motuum placandorum negotii cardo versatur in eo, quod *materia* prius bene præparata atque *remota* sit; quod ipsum jam præstruxit definitio nostra §. I. In quavis enim febre materia quædam peccans præsto est, ad quam disponendam & excutiendam Natura motus suos intendit, & auget, eosque nonnunquam emota jamjam corporea illa noxa ultra necessitatem producit. Et hi equidem sunt, quos sistere licet: neque tamen temere, nec subito, si etenim motuum tunc aliquod decrementum & successiva quotidie quoad gradum ac tempus durationis paroxysmorum imminutio observatur, quid tum opus sponte currenti addere calcar? & quis adeo intime penetralia Naturæ rimari poterit, qui cer-

certissime scire valeat, nihil ei superesse removendum amplius, quod utut leve & exiguum data impofterum occafione denuo vitalitatem lædere queat?

§. IIX. Optimum petitur in hac re criterium ex *Euphoria* patientis extra paroxyfinum & diebus intercalari-
bus, actionibus nimirum moralibus bene conftitutis, animo a mœrore, angoreque immuni, appetitu vigente, alvo fuc-
cedente, fomno fatis placido nec interrupto, aut anxio ex-
iftente, transpiratione infenfibili laudabiliter fe gerente,
membrisque levibus fientibus. Signum enim hæc funt,
remota effe illa naturæ irritamenta, quibus vacandis fefe
ab omnibus aliis functionibus tum rationalibus, tum vita-
libus diftraxerat: tunc fine periculo locum habet *ſucceſſi-
va & cauta* motuum cohibitio, quæ *tonica leniora, amara,
ſtomachica, carminativa*, qualia funt *Eff. amaræ, v.g. gentianæ
rubr. galang. cort. aurant. abſynth. comp. cinam. card. bened.
trifol. fibr. millef. &c. item balsamica*, ut *pilulas ex extractis
amaris c. gumm. ammoniac. galban. ſagapen. quæ ſimul reſol-
vunt & roborant*, combinatas prius in tentamen vocat,
quam ſtatim poſitiva febrifuga in uſum trahit.

§. IX. Hac vero præcipua cautela neglecta, mirum
quot, quantaque damna in corpus ægrotum ita perverſe
tractatum, quid quod? miſere mactatum redundant! Mo-
tu ita præpoſtere ſufflaminato materia culpoſa in primis
viis aut circa eaſdem ſtabulans intercipitur & obfirmatur,
novæque contra eam luctâ inſurgere cogitur natura, cum
autem aditus ad eam emovendam præcluſus fit, verſus al-
lia loca tanto vehementius reſtringitur humorum maſſa
in his locis materiæ diluendæ, dirigendæ & evehendæ de-
ſtinata, ubi vel variis moleſtis motibus exagitata preſſiones

& tensiones colicas, spasmodicas in hypochondriis, præcordiis, & capitis gravativos dolores excitat, vel ibidem restagnans in stases inflammatorias, ulcerosas, hæcicodeas ru-rit, vel obstructions, infarctus, scirrhus hepatis, lienis, glandularum mesentericarum inducit, unde tumores isti, quos nominamus *Sieberfuchsen*, vel in lymphalia aliaque vasa repressa rupturas & extravasationes efficiens chronicis, cachecticis, œdomatosis, hydropicis, ictericis adfectibus viam pandit, vel in artus decussa & restricta illibi motus gravativos, lassitudines parit. Minora sunt incommoda, si solum pertinaces quædam alvi obstructions, & flatulentia post pastum sequantur, quæ adhuc, ne ulterius progrediantur præpediri possint. Si omnino sine periculo decurrat negotium, semper fere recidiva metuenda venit, dum post solutam adstrictionem Natura ad opus salutari intentione cœptum, in quo turbata fuerat, recurrit, illudque ulteriore materiae insalubris præparatione & excussione perficere satagit. Sicuti autem illi ipsi cautelæ subjunctus monitum, quod non simul & semel, nec primo statim adgressu, positiva motuum coërcitio suadenda sit: ita utique asserimus hoc quoque consilio neglecto atque impetu nimis repentino facto, eadem omnia damna oriri posse, utut materia nulla noxia sive aliena præsto sit. Sola humorum massa hinc inde restricta plusquam satis materiae peccantis præbere potest.

§. X. Secundum hujus negotii momentum involvit judiciosam considerationem *dispositionis individualis* quoad *ætatem, sexum, temperamentum, vitæ genus, consuetudinem & sensibilitatem*: ubi vix suaferim, ut febrifuga exhibeantur valde *junioribus*, quibus motus facile præcipites eveniunt,
&

& versus particularia, præcipue hæmorrhagica quandoq; maximo cum periculo loca convertuntur; aut ad modum *senibus*, quibus suapte natura strictione toni & obstructions alvi sunt familiares & facile contumaciores redduntur. Minus quoque fert motuum suffocationem *seQUIOR* præ masculino sexu, ob catameniorum negotium, quod facile simul sufflaminatur. *Cholerici* citius inde turbas experiuntur; *Melancholici*, præsertim qui *hypocondriaci* aliquid foveant, obstipationes. Ii, qui *vitam* agunt *sedentariam* & qui *delicatiores, tenebrosiores, sensibilibiores* sunt *texturæ ac animi*, nec non *valetudinarii* longe facilius, longeque certius varia incommoda, damna atque pericula ex positiva tali motuum suppressione incurrunt, quam *robustiores* ante hac sincere *sani, laboribus duriorique vivendi modo adsuæti*. Hinc si omnino febrifugorum applicatio requiri videatur, ad has tamen singulas circumstantias tanto magis attendendum est, ut eo cautius in selectu pharmaci adpropriata & dosim accomodatione incedamus.

§. XI. Peculiarem quoque pensitationem in tractatione febrium per febrifuga meretur *plethora*, quæ ægre, nisi levissima sit, talia admittit, & qua præsentem præceptus ejusmodi medicatio patientes tanto citius atque gravius præmemorata pericula experiuntur pedissequa. Fit enim haud infrequenter, ut in hoc statu Natura, postquam qualitatis noxam subegit, iisdem motibus semel inchoatis quantitatem quoque, per sanguinis in serum resolutionem & sub exhalatione diapnoica excretionem imminuere intendat, & hac de causa febrem intermittentem in continuam mutet, aut eodem labore utrumque perficere studeat, & febrem continuam sub intermittente aliquo typo produ-

cat. Cujusmodi febres anno recens elapso epidemicas habuimus. In his crises & lyfes potius expectandæ, minime vero suppressiones expediendæ sunt.

§. XII. Tanti ponderis cautio hæc est, ut summo studio patienti inculcandum sit, ne sub vel post adstrictionem *adpetitui* edendi, qui post febres semper fere major deprehenditur, *nimis indulgeat*, ne plethora accumuletur, unde Natura turbata aut febrem revocat eandem, aut aliam excitat, aut ob partium debilitatem novum febris fomitem obtinet: Nec minus alii *errores diætetici* vitentur, qualitatem vitiantes, quantitatem augentes, circulumque sanguinis turbantes & alvum & primas regiones oppilantes: imprimis etiam *animi pathemata* fugienda sunt, quæ sedatum Naturæ statum eo gravius denuo concutiunt, quo impetuosius humores expandunt.

§. XIII. Jam de speciali tempore, quo febrifuga propinare convenit nonnulla supersunt notanda, ut generales absolvamus cautelas. Communis est practicorum adsertio, diuturna quidem experientia suffulta & ratione superstructa, *quod febrifuga nil juvent, si sine respectu ad paroxysmum* die scilicet vacuo duntaxat exhibeantur. Nam transpiratione legitime succedente, sine qua febres suppressere non convenit, postero die strictionis illæ tonicæ per medicamentum inductæ rursus solvuntur, & Natura facti immemor, aut causæ ignara motus pristinos reassumit; vel, si dentur sopientia, Natura in motu tum non constituta, non adeo turbatur, aut deterretur a proposito suo, & exigui concepti horroris oblita die subsequente ad consuetum opus revertitur. Hinc paulo propius *versus paroxysmum* porrigenda sunt, *non tamen proxime*, motibus jam
jam

jam ingruentibus, ne ex subitanea hac turba Vomitus, alvi profluvia, quæ nonnunquam singulatim, nonnunquam conjuncta succedunt, oriantur. Egregia methodus circa *Ευναιγίαν* propinandi est ea, quam Excellent. D.D. HOFFMANNO debemus, qui chinata *post paroxysmum exhibet*, *iisque versus novum usque paroxysmum pergit*; idem quoque felici cum successu cum croco Martis antimoniali Stahlii aliquoties experimentari licuit. Sic Natura paulatim medicamini adfuescit, & sedatio non simul & semel, sed paulatim succedens tantas vitalitati turbas non infert.

§. XIV. De specialioribus adhuc eorundem exhibendi modis ratione *præparationis, ingestionis, vehiculorum, doseos* &c. quia hi pro diversa subjectorum e triplici Naturæ regno petendorum indole ac constitutione variant, sub singulari uniuscujusque investigatione, quæ moneri debent, dicemus. Præsupponit hoc examen *selectum febrifugorum*, eorum nempe, quorum præ reliquis tutior, commodior, probatior existit usus. Repetenda hic erunt, quæ §. III. de illorum principiis constitutivis sub differentia præmisimus, nempe quod particulis vel salino-terreo subadstringentibus vel sulphureo-balsamicis, aut vaporosis nauseosis gaudere debeant, pro quarum diverso concursu aut prædominio, aut tonum roborant, aut humores expandunt, utrinque vero sanguinis æqualem circulationem promovent, motumque exacerbatum sistunt atque in ordinem naturalem reducunt. Ad hanc amussim dijudicantur febrifuga, eaque quæ ad eam accommodata perspiciuntur, probantur: quæ minus, rejiciuntur.

§. XV. Tali ex indagatione particularum constituentium de *specificis antifebrilibus vulgi* quid sentiendum sit,

fit, elucebit. Deprehendemus autem, prohi dolor! quod præterquam ut plurimum præmature & præpostere adhiberi solent, pleraque & in eo incongrua, magisque nociva quam salutaria esse, quod prædictis non rite gaudeant qualitatibus, quas vel in excessu, vel in defectu possident, vel cum alio principio huc non quadrante mixtas exhibent. Vel enim ex indole nimium sulphurea, ardente, volatili, elastica humorum massam plus æquo exagitant, ut *piper cum Spiritu Vini adsumtum, piper hispanicum, camphora, Sal ammoniacum, allium &c.* Vel ex nude terrea substantia strituras nimium lentas inducunt, humoresque coagulant, ut *terræ bolares, martialia non rite præparata, os sepiae, putamina cancrorum &c.* Vel simul mucilaginosi viscositatibus mixta humores una tenaces reddunt, cum tamen in plerisque intermittentibus tenacitas jam subsit, ad quam dissolvendam & corrigendam Naturæ labor tendit; hujus census sunt *succus plantaginis*, quem in quartana exhibere solent, *radix pentaphilli &c.* Vel quod omnium longe deterri- mum est, ex acidorum corrodentium cum terra adstrin- gente mixtorum styptica potentia tonum non tam robo- rant, quam lacerant, & dum fibras nimium coarctant, po- ros obcludunt & humores inspissant, imo coagulant, inter hæc præcipue utuntur *alumine*, vel solo, vel cum nuce mo- schata mixto: mitiores quidem sunt *glandes, earumque cupule, & cortex ligni querni*, attamen multa stypticitate sin- gula pollent, hinc ex febrifugorum merito exulare juben- tur censu. Quot vero, quantaque itidem mala ex febri- bus per talia domestica, empirica pharmaca, imo toxica po- tius suppressis in vitalitatis œconomiam pululare deprehen- dantur, praxis Medica myriadibus exemplorum edocet, quan-

quando nempe Medici auxilium in statu consequente imploratur.

§. XVI. Dum remedia domestica incongrua toxici nomine taxo, memoriæ subvenit medicamentum illud empiricum antifebrile, revera venenum *Arsenicum*, quo iniquissimi nonnulli agyrtæ & audaculi perinde ac interdum imprudentes ac irrationales medicaſtri febriles motus quidem impræſentiarum fiſtunt, ſed longum malorum tramitem, quin imo mortem accelerant. Conſtat autem arſenicum principiis metallicis ſalino-fulphureis acerrimis cauſticis, vaporofis, quibus nulla correptione aut præparatione utut artiſicioſa, utut laborioſa, ſi arſenicum manet, privatur: neque hinc quod *fixum* vocant malitiam ſuam & profundam acridinem adeo deſerit, quin ſemper draco hic nunquam miteſcens relinquat conſectaria atro calculo notanda, quacunque parva doſi, quocunque ſalutari juvante, corrigenteve vehiculo propinetur: nunquam hic hoſtis, quacunque ſub veſte atque inſignibus adpareat, cum Natura in gratiam redit: id quod propter cauſticam ſuam qualitatem Ventricle tunicis ac fibris non modo perniciem affert, ſed & ob ſuam ſubtilitatem aliquando cum chylo in ſanguinem devehitur, ex quo ipſum Natura implacabilis dum per ſecretiones & excretiones citatiores expellere intendit, incidit forte in hoc tumultu ſuaque fuga in viſcus aliquod ſecretorium, in cujus teneram texturam ſe gliſcit, hanc arrodit & in periculoſam ulcerationem cum Hecticæ conubio conjicit: aut ſanguinem, quocum circumvolvitur energia ſua potenter refrigerante coagulat, unde hujus dyſcraſia, ſpiſſeſcentia, infarctus & ſcirrhoſa in aliquo viſcere incarceration, ſtatusque cachecticus &c. Sic ex febre

intermittente per se raro noxia, suppressa fit status deploratus atque immedicabilis, nisi quidem principiis obstes.

§. XVII. Inter externa domestica pro exemplo succurrit euporiston illud, quod miselli homunciones in quartana adhibere solent: sumunt videlicet *cuticulam* illam, *quæ testam ovi intercedit atque albumen*, quam extremis digitorum articulis superligant. Quo scopo? a priori haud perspicio: a posteriori vero compertum habemus, illud tam valide reprimere humores extra ligaturam, ut sphaceli metum incutiat, dum pars ligata in deligatione nigrescere & indolens fieri observata fuit.

§. XVIII. Innumera sunt alia, quibus tam varie abutitur decipiturque impatiens vulgi credulitas. Meliora quidem multa passim quoque ab auctoribus Medicis commendantur: sed non omnia, quæ pro febrifugis venduntur, merito pro talibus habentur, uti jam §. I. monitum. Alia enim generali tantum tractationi febrium tum acutarum tum chronicarum conveniunt, & in his quidem præviæ resolutioni ac evacuationi magis quadrant: prioribus accensemus *febrifugum* illud KERGERI e *Corallis & Crem. Tartari* conflatum; posterioribus illud RIVERII, quod per emesin materiam educit peccantem, & *lapidem lyncis*, quem plurimi laudant, qui, cum salinis & subtilissimis particulis terreis gaudeat, magis humores præcipitat, quam tonum alterat. Alia modice saltem roborant, ut *stomachica illa tonica*, quæ positive suppressantibus præmitti suavisimus §. IIX. Alia denique, quamvis a priori aliquid intentioni nostræ respondens ipsis inexistere videatur, experientia destituuntur sufficienti, qualia sunt v. g. *Radices Caryophyllatæ, aristolochiæ, cortices tamarisci, Terra de catechu,*

totque alia, quibus fere solis toti cuidam pharmacopolio prospicere possis.

§. XIX. At in tanto materiæ medicæ adparatu & luxuriante farragine, tam pauca febrifuga, quæ experientia modernorum Practicorum certa, tuta, fidaque invenerit, habemus. Quotquot autem sunt, jam ordinem propositum servantes, dum in selectu eorum versamur, ea perlustrare placet, primoque perspicere ea, quæ vi sua *sedante* effectum sistentem exerunt: ubi primario occurrunt *opitata correctæ*, quorum narcotica ferocia sale quodam sive acido, sive alcalino temperata est, ita ut blande sopientem magis, & simul excretiones præcipue periphericas promoventem obtineant effectum. Prioris generis sunt *pilulæ Matthæi, Starckii*: posterioris *pil. Wildegansii genuinæ*, seu *laudanum opiatum correctum*, quarum gr. III. vel IV. horis quatuor aut quinque ante paroxysmum exhibentur. Has excipiunt *Nuces Moscbatæ*, quæ licet paulisper adstringant plus tamen sopiente virtute pollent, unde non noxius eorum in febb. intermitt. existeret usus, ni mulierculæ, dum eas exhibent, alumen adderent. Propinari possunt in cibis, ceu condimentum, exili proportionem. Paulo plus terræ & adstrictoriæ efficaciam possidet *Cascarillæ cortex*: attamen magis adhuc balsamica sua indole sedat, quam adstringit. Unde non citra rationem de ipso testatur PELARGUS *in Observ. Clinic. ad Majum anni 1721.* quod non idem præstet, quod china, quæ multo vehementius stringit; (eo autem ipso ad usum non æque tuta existit) hinc cortex hicce etiam, reliquis caute observatis, aliquando sensibilibus propinari potest. Datur in pulvere aut per se in vehiculo, aut in *Electuario*, ad gr. XV.

substantiæ, in *Essentia*, ad gutt. XXX. in *Infuso vino* ad aliquot uncias, in *Extracto* ad gr. vj. in aqua soluto aut in *pilulas* formato. Non confundendus est cum *Cortice Winterano*, licet a B. VALENTINI in *Musæo Musæorum* quoque hoc nomine insigniatur, cujus quidem æmulus quadantenus est, nisi quod hic magis ad piperatum saporem & cinericium colorem accedat, quam *Cascarilla*, sed pro scopo febrifugo, licet in fine febrium ad roborandum ventriculum offeratur, non parem exerit effectum.

§. XX. Restat novum adhuc sedans, quod licet non directe, sed magis per epicrasin operatur, tamen ex febrifugorum classe excludere non possumus, dum postquam remotive materiam febrilem resolvendo, & sive per superiora sive per inferiora evacuando effectum suum exseruit, etiam magis positive motus felici cum successu sistere sæpius deprehensum fuit. Est illud *Sulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis*, quod versus paroxysmum propinatum prima dosi ordinarie evacuantem, altera autem sedantem edit efficaciam. Conf. Clariss. D.D. JUNKERI *Conspectus Therap. general.* p. 38. Hinc tanto tutius omni fere tempore adhiberi potest, quum materiam noxiam, quamdiu ejus superesse invenit eliminat; unde in nonnullis bis vomitum aut catharsin excitat, id quod signum est materiam nondum omnem & penitus fuisse subactam. Exhiberi potest omnibus etiam aliis sedantibus & adstringentibus irritis. Dosis est a gr. IV. ad VI. Ob tutum sui usum ceteris omnibus sedantibus palmam præripit.

§. XXI. Hæc de specialioribus febres intermittentes sedantibus: sequuntur *adstringentia*, & initio quidem ea,

ea, quæ suppeditat regnum *vegetabile*. Hic rursus habemus febrifugum quoddam per epicrasin, *radicem Ipecacuanhæ*, quæ particulis salino-sulphureis cum interspersa subtili terra constans, tam evacuante, quam tonico-adstringente efficacia gaudet; unde materia, si quæ superest educitur, unaque simul cohibetur motus. Propinatur in substantia ad scrup. fs. in vehiculo adpropriato cum regimine emetico. De *ligno colubrino* meminit PELARGUS in *praxi Stabliana* p. 997. quod sit medicamentum amarum, (id quod de particulis resinosis balsamicis testatur) & quod in specie exhibeatur in quartana in forma *infusi cum vino*; nempe recipi narrat ligni hujus unc. Ss. infundi in vini libr. j. relinqui per noctem in loco calido, tum decantari, & post paroxysmum usque versus novum ingruentem propinari, ex hoc ligno quoque *pocula* tornari, in quibus vinum per noctem infusum motus febriles sistendi vim adquirat; ejus autem acrimoniam modico pipere corrigi solere.

§. XXII. Omnia modo allata antifebrilia vi coercente multis antevertit parasangis *Chin-Chinæ* cortex, famosissimum istud specificum febrifugum, quod a nonnullis hoc nomine pro infallibili colitur, & ad quod, ceu sacram ad anchoram illico confugiunt plurimi eorum, quibus motus febriles vel paulo majoris contumaciæ suspecti veniunt: circa quod hinc tanto magis curatiore circumspectione opus est, quanto frequentior est abusus & quanto majora sunt damna inde fluentia; qua de re legi meretur Ill. STAHLII *Dissert. de febb. interm. turbatis atque corruptis*. Constat vero cortex hic particulis acido-terreis & parcis resinosis balsamicis, id quod inter alios effectus sapor et-

iam ejus ex austero amaricans evincit. Probat hoc virtutes aliquanto plus æquo adstringentes, quam quæ ad tantopere extollendas hujus vegetabilis laudes vulgo circumferuntur. Principium illud acido-austerum prædominans aliqua adhuc correctione & obtusione indiget, unde nunquam satis tuto solum propinatur hoc pharmacum, ex quo tot diversæ ejus præparationes exhibendique rationes profectæ sunt. Paucissimi corticem *pulverisatum* in substantia offerunt, nec quidem absque salibus incidentibus, digestivis, idque robustioribus tantum, quibus eum in larga satis dosi exhibent, dum parcius datus licet aliquid nil tamen perpetui præstat. Alii eundem per noctem *in vino* generoso infundunt, prout præcipit SYDENHAM, quod infusum trancolatum, ne quid de ipsa pulveris substantia sequatur a magis providis repetitis haustibus paulatim calidiuscule ebibi solet: nec rejiciendum est hoc Vehiculum, ipsum quoque multum tonicæ virtutis possidens. Quandoque etiam cum conservis & syrups lenientibus miscetur & sub *Electuarii* forma ad magnitudinem nucis juglandis offertur. Sub extracti compositi forma prodiit *specificum antifebrile* RIVERII, quo autem ceu operoso & pretioso nimis carere possumus, dum eundem scopum assequimur, si *Extract.* simplex cum extr. aliquo purgante v. g. Catholico, panchymagogo Crollii, pil. Cochiar. &c. & tantillo salis cujusdam medii remixtum propinemus: nec male etiam in Clystere adhibetur.

§. XXIII. Optima vero atque præstantissima China Chinæ ad secure profligandos obstinatos febriles paroxysmos præparatio videtur ejus extractio cum menstruo spiri-

spirituoso ; ita etiam particulis nimium adstringentibus separatis obtinetur paulo magis efficacia illa simul balsamica, naturæ admodum amica, nec tales noxæ producuntur ex suppressione per eam facta, præcipue si quoque per abstractionem aliquantæ portionis menstrui extrahentis *Essentia* concentretur, cujus tunc tanto majorem pro necessitate rei dosin exhibere possumus, nec commotiones sanguinis adeo metuendas habemus. Tale quid innuere mihi videtur Consultiss. D.D. HOFFMANNUS in *fundam. Medic. Cautel. Practic.* 22.

§. XXIV. Sufficiant hæc de adstringentibus vegetabilibus, febribus fugandis dicatis: ex *animali regno* hunc in finem nil adeo consueti aut probati habemus, nisi huc referre placeat *Specificum Crollii*, quod nil est nisi *Conchæ* aceto elutæ & ad albedinem calcinatæ, quas in haustu cerevisiæ calidæ cum tantillo butyri pinguefactæ bis vel ter a Dr. ss. ad Dr. j. exhibitas febrem sistere perhibent. Ex *minerali* plura habemus: laudantur præcipue *martialia* parca dosi data, sc. *lap. Hæmatit. limat. mart. Croc. mart. sulphurat. vel antimoniat. Ess. vitrioli martis*, quæ partim ex principio sulphureo partim terreo martis agunt adstringendo, & per præcipitationem humorum, eorum aliquo modo sopiendo motus. Ex his reliqua omnia antecellit *Crocus ille martis antimonialis tenerior Stablii*, qui, cum in ejus præparatione cum Salibus alcalicis nitro nempe & tartaro moderata sit virtus adstringens, ac in elutriatione particulæ illæ terreæ prægravantes separatæ sint, multo mitiorem ac tutiorem virtutem obtinet, ita ut pro scopo febrifugo reliquis omnibus antehaberi mereatur, præ-

præcipue dum ex accedente indole salina, quoque absterforium & resolutorium qualem cunque præstet effectum.

§. XXV. Inter adstringentia quoque numerare possemus *aquam frigidam*, quæ in auctoris cujusdam Anglici, nomine SMITH *tractatu de virtutibus medicinalibus aquæ communis* ceu febrifugum magnum dilaudatur: sed hoc ipsum ulteriore disquisitione practica opus habet.

§. XXVI. De externis pauca supersunt dicenda. Dixi supra ea agere vel per effluvia principii alicujus ex illis in corpus per poros exhalantis, quibus ipsi humores adficiuntur & Natura ab alio loco ad alium avocatur, & motus suos dividendo æqualius instituit, vel per impressionem mere idealem, aut nobis saltem non æque perspectam, ut modum fiendi explicare queamus, antipathia vel alia quadam idiosyncrasia Naturam feriendo & a motibus suis deterrendo vel distrahendo. Inter illa, quæ prioris sunt generis omnium prima sese offert *Camphora*, amuleticum vulgatissimum, quam de collo suspendere, & petiolam, in qua inclusa erat, ipsa consumpta, retrorsum in aquam dejicere solent, & sic febriles motus cessaturos esse perhibent: cerimonias illas supersticiosas mittimus, quæ tamen ut plurimum cum usu amuleticorum concurrunt, in quas autem Medicus officio & conscientiæ satis facturus sedulo inquirere, easque ceu Christianis indignas & veram morbi ad medelam nil facientes serio vetare debet. De efficacia autem camphoræ haud diffitemur, eam hoc modo aliquid præstare, principia enim sulphurea subtilissima, penetrantissima, quibus scatet, valide discutunt, quo ipso Natura invitatur ad motus circa locum ad pensionis augendos, febriles minuendos: præterea aliquid tonicæ virtutis

tis in fine exerit. Quum tamen sit æstuosissima, haud etiam suis caret cautelis; præsertim & hic valere puto cautelam D. D. PRÆSIDIS in *Dissertat. de Camphoræ circumspecto usu medico*, ubi, *habent omnino*, monet, *plethorici rationem, quo externe caute & parcius Camphora utantur*. ETTMULLERUS hoc scopo commendat *Sedum vermiculare*, quod, cum sale volatili acerrimo abundet, nonnunquam parem cum Caphura effectum obtinet. Clarissimus D. D. CARL in *Prax. Clin.* methodo posteriore inter externa topica recenset *Therebintinam*, quæ particulis sulphureo acribus per liquidam mucilaginem dispersis pollens simul tonicum est ac resolvens subjectum; item *Crocum*, qui ceu aroma sulphureo-vaporosis principiis est refertus; nec non *Sabinam, Rutam, Allium* ad corpus adplicatum, *Fuliginem*, quæ omnia ex mixta cum aliis sulphurea halituoſa particula hic aliquid efficere possunt.

§. XXVII. Febrifugis externis certo respectu annumerari potest *Venæ Sectio*: si nempe sub febre adpetitui nimium indulserit æger, unde plethora accumulatur, ad quam imminuendam prioribus motibus tam diu pergere vult Natura, donec huic intentioni quocunque modo satisfactum sit.

§. XXVIII. Posteriori febrifugorum externorum generi, nempe eorum, quæ magis idealiter agunt, varia accensentur, pleraque autem talia, quæ Natura abhorret, atque fastidit. WOLFFIUS in *Scrutinio amuletico* hæc inter numerat *caudam, pedes, auriculas & nasum muri vivo abscissos, ossa hominis defuncti, ranas talpasque vivas, capita viperarum, bufones siccatos &c.* Quibus autem speciatim explicandis supersedemus, quum vulgus, qui maxime

me iis abutitur, omnia fere superstitiosis suis ritibus conspurcârit, ita ut potius optandum sit, Medicos ipsis quam parcissime uti, ne plebis errores horum auctoritate factisque approbari & confirmari videantur; præcipue quum pleraque talia externa faciant quod possunt, raro quod promittunt, & in subjectis rudioribus, insensibilioribus, nil operentur, ut asserit D. D. PRÆSES in *Dissert. de modo operandi remediorum in corpore vivo. Specim. IVto de Sympatheticis*; in-sensibilioribus autem restitutis, si cura detegatur, turbas novas, nec quidem leves excitare possunt. Nec jam quoque multa dicam de iis, quæ sola quasi fide sive fiducia operantur, qualia sunt *superstitiosa* illa, imo sæpenumero impia, obscena, blasphema *scripta*, *abracadabra*, *hocuspocus* &c. *inversio indusiorum*, *eorumque in aquam fluentem demersio*, aliaque talia, quæ libens prætereo. Medicus christianus non aliam in mente ægroti fiduciam excitat, quam in misericordem DEI Clementis opem, & suum, tantum quantum par est, ipse præstare se posse, si bene conscit, candorem ac habilitatem. Doctore pio ac conscientioso digna est adhortatio D. D. PRÆSIDIS in hanc rem, quam tradit in *Dissert. de Therapia imaginaria* §. IX.

§. XXIX. Hæc sunt, quæ *de febrifugis eorumque cauto usu atque selectu* in succincta meditatione & specimine dicere visum fuit: jam ut rem memoriæ altius inculcemus, *brevi ac succincta repetitione summa ejus capita ruminari* licebit. Innuimus nempe, nonnisi in febribus intermitt. quodcunque febrifugorum stricte sic nominatorum genus, nec nisi præmissis præmittendis patiente extra paroxysmum tam quoad corpus, quam quoad

ad

ad mentem bene constituto , non eminenter plethorico ad motuum pertinaciam debellandam propinari debere , ea quoque robustis quam sensibilibus magis convenire. Innuimus quoque sedantia correctâ, eaque, quorum particulas terreas major copia salinarum & balsamicarum intercedit, blandius atque tutius agere, quam adstringentia pure talia ; hæc vero adhibenda esse, ubi robustiora subsunt individua. Selegimus triplici hoc nomine ex omnibus *Sulph. antim. aurat. zic præcipitationis, corticem Chin-Chinæ* sive in Electuario, sive in Essentia, & *Crocum martis antimoniat. Stablii*, præ reliquis omnibus tutissimi usus. Ceterorumque quoque tamen ideo principia, virtutes & exhibendi rationem exposuimus, quo si nullum istorum in promptu sit, aliquid tamen ad manus sit, quod in tali motuum contumacia usu venire queat.

§. XXX. DEO autem T. O. M. humillimas ago grates, quod & hætenus meis studiis benedixerit, & jam quoque pro absolvendo hoc qualicumque specimine vitam & vires concesserit clementissime; Oroque supplex, ut porro vota mea exaudiat, quæ futuram praxin non in proprium emolumentum, sed in conscientiæ inlibatæ integritatem saluti ægrotantium proficuum exoptant, quo IPSE mortalibus suis in creaturis immortalibus celebretur laudibus.

Glück zu! Mein Werther Freund, Glück zu den neuen
Ehren,

Wozu Dich steter Fleiß und Deine Tugend setzt.
Es müsse sich Dein Ruhm in kurzem so vermehren,
Daß Dich die kluge Welt in Stein und Marmor ähzt.
Ich gratulire Dir: Gott segne Deine Thaten;
Der Himmel stehe Dir in Deinen Ehren bey;
So muß, was Du beginnst, nach Deinem Wunsch gerathen.
Ich aber bleibe Dir zu aller Zeit getreu.

Durch diese wenige Zeilen wolte seinem Wer-
theften Herrn Vetter und geliebten Freun-
de zu erhaltener Würde gratuliren

J. D. Keßler, Med. D.

Da Deinen Scheitel nun der Ehren Lorbeern zieren,
Die Dein gelehrter Fleiß Dir zur Belohnung reicht,
So will jetzt meine Pflicht, die keiner Treue weicht,
Aus innerm Herzens-Grund mit Freuden gratuliren:
Das Glück begleite Dich, wie hier, so aller aller Orten,
Und seegne, was Du thust und Gottes Ruf Dich heist,
Vornemlich wenn Du Dich, als treuer Arzt erweist;
So wünsch ich Dir genug, obzwar mit wenig Worten.

Mit diesem wenigen wolte dem Herrn Dö.
Morando seine Ergebenheit bezeugen
Sein abwesender Freund und Diener

C. G. Schlegelmich, Med. Lic.
Missionis Danicæ ad Malabaros
Medicus.

NEditur en! Laurus, Tibi, FAUTOR, nunc stu-
diorum
Qui cursum absolvis: gratulor inde pie,

Ast

Ast animo salvus sis porro & corpore sospes
Quælibet ac vigeant cepta secunda T u a.

J. M. Starcklof,
Gothano-Thuringus, Med.
Cand.

Auf Arbeit folgt der Lohn, das Glück becrönt den
Fleiß,
Wer unermüdet ist, erhält den besten Preis,
Wir müssen freylich erst die muntern Kräfte wagen,
Dann aber kan das Haupt die frischen Lobeer tragen.
Vertrauter Hergens, Freund! diß trifft bey Dir auch
ein:

Es müssen Glück und Ruhm zu Deinem Dienste seyn;
Hygæa will den Krank auf Deinen Scheitel setzen,
Und Ihrem liebsten Sohn nach saurem Schweiß ergößen.
Ich sehe Dein Verdienst mit größtem Recht erhöh'n:
Drum darf Dein Pythias nicht ohne Regung stehn.
Der Tugend eigne Hand hat uns genau verbunden,
Ich habe Deine Treu zu meinem Trost gefunden,
Der Himmel gebe Dir, was Dir Dein Müller gönnt:
Damit man Dich dereinst vollkommen glücklich nennt.
Steigt nun Dein Wohlergehn, wird nun Dein Ruhm vermehret,
So denke, daß Dein Herz mir dennoch zugehöret.

Zu stättem Andencken der aufrichtig-gepflogenen
Freundschaft und Versicherung derselben Beständigkeit
bezeuget hiemit seine Freude über die erlangte Würde,
des Herrn Candidati ergebenster

J. J. Müller,
Neostad. Würtemberg. Med.
Studiof.

TU flagellasti rigido labore
Docte Vir, corpusque animique nervos,
Dissecans nodos laqueosque tectos
Funditus artis.

Non inhumanus monachus cruentâ
Corpus ignavum lacerare resti
Durius fœvit, sua quando membra
Vexat acerbè.

Nunc suum fecit Dea TE flagellum
Docte GEISSELI: secus, ac flagellum
Se Dei tristis furibundus olim
Attila dixit.

Virga Tu Deæ facilis, ruentem
Porro Morbonam misere flagelles,
Desque depexos medicante dextra
Undique morbos.

*Hos felices futuræ praxeos eventus, Amico
sincere dilecto gratulatus optat*

J. E. Schmidius,
Isenburgicus, Jur. Studios.

SAnn meine Muse nur könt' schöne Verse machen,
So solt ein fein Gedicht aus meinem Kieble gehn:
Doch da der gute Will an dessen Platz darf steh'n,
So siehst Du hier mein Herz zu Deiner Würde lachen;
Ich bin für Dich erfreut, da Dich Apollo krönet:
Ich wünsche ferner Glück, Hoch-Verthgeschätzter
Freund!

Und wie nach Sturm und Wind Dir jetzt die Sonne
scheint:
So bleibe Die hinfert der Himmel stets versöhnet.

*Ita sinceræ amicitiae restandæ gratia
applaudit*

J. H. Tromp,
Isenburgico-Meerholtinus, L.L.Cult.
Glück

S Glück zu, Gelahrter Freund! der Himmel, der Dich
liebet,
Und Deinen Studien jezt Ehren-Kränze giebet,
Besördre fernerhin nach Deinem Wunsch Dein Glück.
Der Höchste lasse Dich in Deinem Practiciren
Zu vieler Trost und Heyl stets Seinen Segen spüren:
Du aber denck indeß auch oft an uns zurück.

Mit diesem wenigen *gratuliret* aus aufrich-
tigem Gemüthe des Herrn *Candidati*
treuergebner Freund

J. E. Wick,
Isenburgensis, Jur. Stud.

MUſis ſacratam laurum, quam neſcit Apollo,
Jure TIBI dudum ſtudium pietasque pararunt.
Sed TUA ſpernebat ſubito diſcere virtus
Nomine Doctōris, quod nunc TIBI tradit Hygea.
Hinc lætis verbis ſolennia gaudia jungunt,
Et TIBI propitium Numen, mentemque Galeni,
Auriferum lapidem, (Medicis quod credere fas eſt)
Fortunam placidam, Senectam Neſtoris optant

*De honoris gradu gratulabundi Con-
terranei*

J. F. Koch, S.S. Theol. Cult.
J. M. Beuther, L. L. Cult.
Bipontino-Palatini.

Erkennſt Du nun des Himmels Weiſe?
Verſteheſt Du? was dieſes heiſſe:
Geh, reiß nach Hall' auf Glauben hin!
Begreifſt Du jezt des Mannes Sinn?
GOTT, deſſen Güte Du verſpüret,
Hat Dich ſo wunderbar geführt;
Trau nur, Er bringt Dich weiter fort,
Und leitet Dich in ſichern Port.

Ich

Ich wünsch' es herzlich; Glück und Segen
Begleiten Dich auf allen Wegen.

Dabey mein Mund zum Abschied spricht:
Bergiß der alten Freundschaft nicht.

Um dem Herrn Candidato als einem wahrhaftigen Freunde
seine treue Ergebenheit zu bestätigen und zu er-
langter Würde zu gratuliren, wolte dieses beysetzen
dessen aufrichtiger Freund

J. C. Carl, Isenburgo-
Budingens. Med. Cult.

Asfiduos magnos nunc docta Minerva labores
Compensat lauro, *Suavis Amice!* Tibi,
Apprecor, ut felix cuncto sit tempore praxis.
Latus succurras omnibus invalidis.

Ad patriæ faustus rediens mox dulcia rura,
Nostrum, GEISELI Candide, vive memor.

*Hæc Nobilissimo ac Doctissimo Domino Candidato
in amicitie testimonium adponere voluit*

C. C. Schmidius,
Isenburgicus, L. L. Stud.

Szukomm in Deiner neuen Würde,
Die mich in Freud und Trauren setzt:
Denn balde wird mir das zur Bürde,
Was jezo meinen Geist ergötzt.

Ich gönne Dir zwar Deine Ehren;
Alleine hätt'st Du sie noch nicht,
So dürfft ich auch noch diß nicht hören,
Was jetzt Dein Mund von Scheiden spricht.
Doch wünsch' ich Dir zu beydem Glücke,
Für Deine Lehren danck ich Dir:
Wobey ich mit vermengtem Blicke
Dir gratulir', mir condolir.

Hiermit wolte seine schuldigste Hochachtung gegen seinen
bisherigen Herrn *Præceptorem* bezeugen

J. C. le Veaux.